



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesin Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

I. De Ecclesia primorum parentum & de discrimine ueræ Ecclesiæ Dei, & cœtus hypocritarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

& impiorum supplicijs æternis.

Reliquæ materiæ minus principales, ut de in-
credibili desiderio uidendi Mesiã, quod tenuerunt
primos parentes, de æmulatione, de odio hypocri-
tico, de securitate carnali, de πολυγαμία &c. in enu-
rando Textu recitabuntur.

I.

DE ECCLESIA
primorum Parentum.

Vult Deus in genere humano aliquem uisibilem
coetum esse, in quo uera ipsius noticiã, & inuocatio
luceat, & cui soli sapientiam suam ac bonitatem
communicet, & qui solus æterna ipsius consuetudine
fruatur. Ideo & condidit genus humanum, & postea
Adæ & Eux lapsis rursus se patefecit, ac promissionem
eis tradidit de uenturo Semine. Hanc omnes fide amplectentes
recipiebantur à Deo, et membra æternæ Ecclesiæ Dei fiebant.

PRIMUM autem firmissime statuendum est,
Nullam Ecclesiam Dei, & nullos uitæ æternæ hæredes esse in eo coetu,
qui non habent noticiã & ministerium promissionis de CHRISTO,

Ut cla-

Vt clarè dicitur Act. 4. Non est in alio quoquam salus. Ephes. 2. Estis Templum Dei, conciuēs sanctorum, extructi super fundamentum Apostolorum etc.

1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. Quare execrandi sunt eorum furores, qui Ethnicos ignaros Euangelij, in cœlum transferunt, & qui fingunt primos patres sola lege naturæ, sine agnitione Christi saluatos esse. Vna est enim & sola Ecclesia Dei, & uno ac eodem modo omnes uitæ æternæ hæredes saluati sunt, uidelicet fiducia misericordie propter Messiam promissæ, ut clarè dicitur Ebr. 11. Fide obtulit Abel maiore hostiam, per quam testimonio diuino pronunciatuſ est esse iustus. Item Act. 15. Credimus nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari, sicut & patres nostri. Fuit itaq; in Ecclesia patrum noticia Messie, de quo sciebant editam esse promissionem, Semen mulieris concubabit caput Serpentis.

SECUNDO. Vera Ecclesia Dei est cœtus piorum, qui uere credunt promissioni de Christo, & sanctificantur per Spiritum sanctum, ut fiant hæredes uitæ æternæ, & habent externam notam, uidelicet, purum uerbum DEI, & legitimum Sacramentorum usum.

L 5 Sic

Sic definit Ecclesiam Paulus Ephes. 15. Item Timotheo
Ephes. 2.

Ac competit hæc definitio uiuis membris Eccle-
siae uisibilis, quæ sunt re & nomine Ecclesia, & a
Spiritu sancto ad uitam æternam gubernantur.

TERTIO. Hæc uera Ecclesia populi reuolu-
scentis ad perpetuam uitam, alligata est, non ad car-
nalem generationem, aut successionem ordinariam
aut alias prerogatiuas, sed ad solum uerbum Dei
promissionem de Christo, sicut dicitur Ioh. 1. Quis
quot receperunt eum dedit eis potestatem filii
Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate
carnis & c. sed ex Deo nati sunt. Et Rom. 5. Non
carnis sunt filij Dei, sed filij promissionis. Quæ
etsi hæret in Adam opinio, filium Cain fore hæ-
rem, quia ex ipso natus esset, tamen Deus repudi-
caim primogenito Abelum elegit. Et semper est Ec-
clesia non penes eos, qui sibi arrogunt titulum pro-
pter carnales, seu alias politicas, aut legales pre-
rogatiuas, sed penes alios ignobiles, spretos, abiectos
in quibus lucet Euangelium, & qui nati sunt a
Deo, ut tempore Mariæ Ecclesia erant Zacharia
Simcon, Ioseph, Anna, Elizabeth, Pastores, & alij
miles, non Pontifices, Pharisei, & alij gubernan-
tem Ecclesie tenentes.

QUARTO. Accuratissimè hic cætus uera Ec-
clesia discernendus est à cætu hypocritarum, qui-
rum duo sunt genera.

Hypoc

Hypocritæ alij de doctrina cum pijs externa professione consentiunt, nec sunt polluti externis Idolis, qui etiamsi honesta disciplina suos mores regunt, tamen in corde sunt sine uero timore Dei, sine fide, & sue iusticiæ fiducia ad Deum accedunt, ut Pharisæus Luc. 18. Sic Cain initio propter carnalem prerogatiuam se fratri antefert, & existimat se propter sua sacrificia & merita Deo placere. Tales Hypocritæ semper Ecclesiæ admixti sunt, nec humano iudicio agnosci possunt. Etsi autem uocantur & sunt mortua membra, tamen cum funguntur munere docendi, & administrant Sacramenta, Deus per eorum ministerium propter suam promissionem est efficax, etiamsi eorum personas post resurrectionem à uiuo corpore Ecclesiæ auellet.

Alij sunt palam impij, polluti falsis opinionibus, qui stabiliunt Idola, impiam doctrinam pertinaciter defendunt, ueram oppugnant, & Cainico odio & parricidijs ueram Ecclesiam persequuntur, ut Cain, qui est pater omnium hypocritarum, acerbissimo odio erga fratrem inflammatus fuit. Tales etsi titulum Ecclesiæ sibi propter carnalem generationem aut successiõnem ordinariam arrogant, & plerunq; in Ecclesia dominantur, tamen non sunt membra Ecclesiæ, ut Christus inquit ad Pharisæos: Vos ex patre Diabolo estis. Iohan. 8. Galat. 1. Si quis aliud Euangelium prædicauerit, anathema sit.

Pij igi-

Pij igitur mandato diuino, se ab huiusmodi Hypocritis, etiamsi ordinariam Ecclesie gubernationem tenent, segregare coguntur, ut Christus & Apostoli se à Phariseis sciungebant.

Etsi nunc quoque nostri aduersarij autoritate, multitudine, potentia, ac titulo Ecclesie nobis antecellunt, tamen sciamus uera Ecclesie Dei membra esse non Cainicos Hypocritas, sed homines pios qui ueram uera doctrinam retinent, & uera inuocatione pijs officijs Deo seruiunt.

II. Locus.

DE DOCTRINA qua sonuit in Ecclesia Patrum.

Vna est de Lege & Euangelio doctrina Ecclesie omnium temporum, qua omnes Sancti, ab initio mundi, ante & post Christum ex Virgine nati uati sunt. Quare non dubium est primos patrum suis filijs & posteris tradidisse doctrinam de omnibus Articulis principalibus cum nostra consensentem.

De Deo.

De creatione rerum.

De suo lapsu, & poenis eius lapsus.

De insidijs Diaboli.